


Hiliger:
de syno-
dorum
origine pro-
pria et
fine.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-679152-p0002-6

DFG

15. 4459

G. 22
PROGRAMMA
DE
SYNODORVM
ORIGINE PROGRESSV
ET FINE

QVO

AD SYNODVM DIOECESANAM
SEYDAE SAXONVM

D. XXII JVNII A. O. R. CIO IO CCXLII

Kr 2422^a

DIGNE CELEBRANDAM
PLVRIMVM REVERENDOS DNN.

SENIOREM PASTORES DIACONVM

ATQVE SVBSTITVTVM

FRATRES IN CHRISTO AMANTISSIMOS
PERAMANTER INVITAT.

IO. ZACHARIAS HILLIGERVS, D.
PASTOR ET SVPERINTENDENS

VITEMBERGAE

BREIO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS.



AMSTERDAM

MURDOCH

V2

1869 26

BUTTER

2012

C. J. V.



ב ע

Synodum ex Graeca lingua oriri, inque illa a σύνδει, cum, & ὁδῷ, via, quoniam Synodi variis conficiuntur vi-
is, quibus conscriptis proficiscendum personis, (a) in propatulo, & confessio est omnium. Vox ipsa
promissio sumitur usū, hincque significat coerum
coniuialem, vt apud ATHENAEVM, (b) Σύνοδος Φιλοσόφων,
Synodus Philosopherum, item Σύνοδος παμμηγῆς ὅχλων, Syno-
dus promiscui populi, & apud POLLUCEM, Σύνοδος εἰς ὄντων,
Synodus in vino: hinc notat, Conuentum ecclesiasticum in
templo, dum in Constitutionibus Apostolicis (c) clare pro-
nunciatur: Πάντα οὐδεν τῷ εἰρήνῃ, καὶ πάσταν πυριακὴν
ἐπιπελῶντες, Curvēs οὐφεαίνεθε, quolibet Sabbatho, uno exce-
pto, & quavis Dominica celebrantes Synodum laetamini: com-
muniissime autem Synodus indicat Clericorum congregatio-
nen, non in templis praecise, sed ubicunque se offert oc-
casio, institutam, potestque composite describi: quod sit le-
gitimus & liber conuentus, vel auctoritate magistratus, vel
muriis exhortationibus, & consensu corporis ecclesiastici,
conuo-

* 2

(a) Act. IX, 7, ὃι συνοδεύοντες τῷ Πάντῳ, iter facientes cum Paulo, ubi alii
poterant praecedere, alii subsequi. v. EDWARDI LEIGHII Criti-
ca sacra, p. 317.

(b) Lib. II X, c. 9, Diplosopb. Conf. LAERTIVS in Testamento Epi-
curi, & GVILIEL. STVCKIVS lib. I. Antiq. conuinat.

(c) lib. 4, c. 19.

conuocatorum, de sacris rebus deliberantium, ac eo laborantium, vt fidei puritas, Ecclesiae salus, & Ministrorum tranquillitas, contra schismata, & alia incommoda afferatur, atque promoueat. Evidem in novo foedere vnicum solummodo exemplum occurrit, cui, ex confessione omnium, nomen *Synodi* proprie tribuitur, ad cuius etiam regulam, quicquid datur *Synodorum*, informetur, & instituantur, *Actuum* nempe *Apostolicorum* cap. XV, 6, ubi expressè legitur: Συνέχθησαν δι Απόστολοι, καὶ ὁ Πρωθύποτες οἶδεν ποιεῖ τὰ λόγγα ταῦτα, *Synodus* agebant *Apostoli* ac *Seniores*, visuri super negotio hoc. In antiquo vero instrumento *Synodi* haud raro in peculio Dei sunt habitae, quoties a profanis opinionibus & Paganorum idololatricis superstitionibus, aut immediata Numinis diuini prouidentia & iussione, aut pia Duxum, Iudicum, Regum Prophetarumque cura animi mortaliuum repurgandi fuerunt. Simile quid habet illa conuocatio, qua, lumen Patriarcharum fulgentissimum, *Iacobus*, de Sichem diuino mandato in Bethel migraturus, familiam suam congregauit, & idola ab illis accepta, sub queru defodit, Gen. XXXV, 1-4. Israelitas inter *Moses* primitus *Synodos*, reparandi cultus diuini ergo, instituit, dum lex in monte Sinai, sub tonitru, & horrendis tempestatisbus, per altissimum Deum promulgabatur, ac populus ritu solemni vni vero Deo adstringebatur, Exod. XIX, 7, seqq. Sic, cum *Aaron* μοχοποιίᾳ plebem, in Aegyptiorum idololatriam propensam, seduxerat, *Moses* de monte, a colloquio cum Deo reuersus, omnem turbam filiorum Israelis congregauit, ac nouiter idolatriam & pietatis sumمام eis praescripsit, Exod. XXXII, 26, seq. Porro, cum idem *Moses* dicerat ex Domino, Deo suo, instare diem mortis suae, vniuersam multititudinem prius in *Synodus* coegit, in qua totius consuetudinis ac vitae Iudeorum in Palaestina, legis breuissimam syopsin, heroico carmine, vt *F. L. IOSEPHVS* (d) censem, comprehendam, illi ediscendam proposuit,

(d) lib. 4, Antiquit. Iud. cap. 8.

fuit, ac testamentaria benedictione curriculum vitae tandem conclusit, Deut. XXXI, 28, sqq. quo in loco septuaginta viralis versio vocem לְהַקֵּן elegantissime exprimit per οὐλητάζειν, *Synodi* naturam exacte docentem. Pari assiduitate *Iosua*, postquam consenseriset, *Synodum* ad quercum Iacob collegit, & idolis abiectis, foedere iterato, nationem Deo deuinxit, cap. XXIII, 1, sqq. *Samuel* item diuino plenus Spiritu, conuocauit gregem Mizpam, &, habita *Synodali* conacione, ab omni eam impietate discedere iussit, 1. Sam. VII, 5, sqq. Horum θεοφοριῶν exemplum imitabatur *Dáuid*, adeo, ut videns, sub tyrannide Saulis, cultum Dei corrumpum iri, exordio statim regiminis, *Synodum* confilio cum optimatibus communicato indiceret, 2. Sam. VI, 1, sqq. Quem *Salomon* filius subsequebatur, & tribubus in templi dedicatione Hierosolymam coactis, eas, in religionis propagatione, ad constantiam cohorrabarur, 1. Reg. IIIX, 1, sqq. Pariter *Achab*, Rex alias improbissimus, ad *Eliae* rogatum, gentem cunctam, regioni suae subiectam, cumprimis Balaliticorum sacrorum antistites congregauit, & quis verus Deo seruendi modus sit, miraculose cognouit, 1. Reg. IIIX, 19, sqq. *Iebu* quoque, ad reformationem Ecclesiae diuinitus excitatus, *Synodum* adornauit, in qua sacrificulos Baalis miro stratagemate confudit, 2. Reg. X, 18, sqq. Posthac piissimi Reges, *Affa*, *Iosaphat*, *Hiskias*, *Iosias*, & quotquot eis sunt annumerandi, mediante *Synodo*, subditos a vitiis ad virtutis studium reuocarunt. Inde eximie pater, potestatem indicandi *Synodum*, hancque uniuersalem, non stetisse apud Sacerdotes, sed apud Duces Israelitarum, & post apud Iudices, ac Reges eorum, nec Clericos duntaxat, quin Summates, atque populum liberam voti facultatem obtinuisse, nec iuxta unius Doctoris, aut Regis praescriptum & placitum, nec iuxta ἐθελοθρεσκίαν, sed, iuxta expressum Dei verbum, decisos esse obortos controuertiae casus. Ceterum, pro numero & diuersitate locorum, ac personarum, vnde conscribuntur *Synodi*, variationem for-

tiuntur. Sunt enim, quas nominemus *generales, oecumenicas, seu universales*, cum ex toto, Christi nomen professi, coetus orbe conuenere Deputati, ad res sacratores tractandas & iudicandas, quarum sex numerantur. (e) *Prima* dicitur *Nicaena*, editio Imperatoris Constantini coacta, A. C. 324 contra Arium, Alexandrinae Ecclesiae presbyterum, & eius asseclas, negantes Salvatoris Iesu Christi Deitatem, congregatis 318 Episcopis, & viris excellentibus, qui *Symbolum conscriperunt Nicaenum*. *Secunda* audit *Constantinopolitana*, celebrata sub imperio Gratiani Caesaris, A. R. O. 384 collectis in ea Patribus, sive Episcopis, 180 contra Macedonium, & qui placita eius approbarunt, Sabellium, & Apollinarem, impugnantes Spiritus diuini Deitatem. *Tertia* nominatur *Ephesina*, Ephesi congregatis, anno a partu virginis, 434, Theodosio Iun. magno & religioso Principe regnante, ducentis plus minus Patribus, contra Nestorium, docentem, duas esse hypostases in Christo distinctas, unam Dei, alteram hominis. *Quarta* refertur *Chalcedonensis*, A. C. 454, sub Mariano Principe, Chalcedoni conuenientibus Patribus 630, contra Eutychem, & Dioscorum, fabulantes, Christum unius esse naturae, & carnis phantasma gestasse. *Quinta* est *Constantinopolitana secunda*, ab Episcopis 166 sub Imperatore Iustiniano instituta A. C. 552 contra Nestorii, Originis, Euagrii, Didymi & Theodori errores. *Sexta* dicitur *Constantinopolitana tertia* A. C. 682, imperium tenente Constantino, Heraclii nepote, ordinata a 289 Episcopis, ad extirpandum Honorium, Sergium Pyrrhum, & complices, qui conabantur, Christo unam γένων, vel voluntatem, atque actionem, tribuere, dicti ideo *Monoboeletae*. Sunt porro *Synodi*, quas vocitemus *Nationales*, seu *Prouinciales*, cum ex natione integra, v. g. *Germania, Gallia, Hispania*, & id genus aliis regnis, conscripti confluunt *Episcopi*, ac *Sacerdotes*, ad consultandum de seruanda fidei puritate, doctrinae
vnitatem.

(e) vid. AD. RECHENBERGIVS in *Hierolexico*, p. 1591, seqq.

vnitate, de disciplina, atque pace Ecclesiarum, quales extiterit, si ordine alphabeticō liceat aliquas nominasse, *Alanconensis, Belgica, Carentonensis, Dordracena, Dresden-sis, Florentina, Gangrensis, Illyriciana, Mediolanensis, Montisbelligartensis, Regiomontana, Seruestana, Thoruniensis, Tridentina, Vincentina, & Wittenbergensis.* (f) Sunt denique *Synodi*, quas dicimus *particulares*, seu dioecesanis, itemque *Episcopales*, & primatas, cum ex districtu certo delecti confluunt Ecclesiae Ministri, ex ordinatione *Superintendens* in sua dioecesi, vel *quotannis*, prout olim constitutum erat, (g) ut quiuis *Ephorus Synodum anniversariam*, post Paschatos Festum, conuocatis omnibus Pastoribus, oppidanis pariter, ac paganis, suae dioecesos institueret, & in illa cum Clericorum doctrinam moresue, tum auditorum profectus & defectus, in fidei & vitae fundamentis studioſissime inquireret, vel *interdum*, absque certi anni & mensis definitione, abrogatis *Synodis annuis dioecesanis*, ob finem intentum, non vbiuis obtentum, & expensas, aerariis sacris temere plane, & sine ullo fructu, factas, (h) cuilibet *Superintendenti integrum est relictum*, vt *Synodum* cum suaie dioecesos Pastoribus quandoque habeat, sub certis rāmen *limitatis finibus*, vt vel *mutuis* institutis *colloquiis*, more disputantium, *argumentum* fidei, aut morum, controuersum, apte inuestigetur, vel *casus dubii pastorales* sollicite enodenetur, vel *viduarum orphanorumque* tempestiu habeatur ratio, & *animorum coniunctio*, inter verbi diuini p̄aecones,

con-

(f) Vid. IO. ANDR. SCHMIDII *Lexicon ecclesiasticum P. III*, p. 72.

(g) Vid. *Articul. general. de anno 1557.* von Wahl und Amt der Superintenden. Conf. ANDR. BAYERVS in *Additionibus ad Iurisprudenciam ecclesiasticam CARPZOVII lib. I, defin. V, no. 1, p. 3, sqq.*

(h) Per *Ordinationem ecclesiasticam, tit. vom Synodo beim Ober, Consistorio, dagegen aber w̄r ic, Conf. ZIEGLERV, in Tract. de Superint. cap. 28, §. 6, 7.*

VIII DE SYNODOR. ORIG. PROG. ET FINE

confirmetur, euitatis aerarii sacri nimiis impensis. (i) Celebri igitur *Synodos dioecesanas* identidem *Hagnoae*, *Friburgae*, *Cygneae*, *Chemnitii*, *Annaemontani*, *Torgauiae*, *Beltizii*, *Liebenwerdae*, & alibi in commodum Ecclesiae praestantissimum, publica testantur documenta. Ipsemet iam *duos institui Synodales conuentus* in mea dioecesi, *primum* d. 5. Aug. A. O. R. M DCC XXIX, programmate edito, *de Canonica libri Esther autoritate*: *alterum* d. 17. Iulii A. C. M DCC XXXIII, praemissio ingenii foetu, *de Augustana Confessione*, *norma concionum sacrarum secundaria*, cum singulari Superiorum approbatione, & luculento meae curae concreditorum fructu. Ad tertium nunc *Vos, Viri Perverendi, Clarissimi, atque Doctissimi, Fratres in Christo Dilectissimi*, congressum extimulo *Synodicum*, hisque literis publicis officiose atque peramante inuito, vt d. 22 Junii, siue *Veneris* die, ante *Festum Iohannis Baptiste*, omnes ac singuli, nullo excepto, circa horam septimam matutinam, Deodante, incolumes me adeatis, & concione primum in templo Seydensi ex Matth. III, 13-17 circulari habita, postea que oratione in museo meo, *de Vitiis vocationis Ministrorum Ecclesiae Synodali* audita, aliquot *Thesum praescriptorum* veritatem disputando exacte exquiratis, *grauamina* in vestris, vt amant loqui, *parrochiis* obvia, pro lubitu exponatis, & neruum mei cutn vestro animi coniunctionis de novo corroboretis. Deum, moderatorem *Synodorum omnipotentissimum*, calidissimis veneror precibus, vt, adstructa porro *Synodorum dignitate*, *tertiam* hanc *Synodus* gratiose respiciat vultu, & benignissime concedat, vt illa vergat in sui sanctissimi nominis gloriam, in amplissimum Ecclesiae nostrae emolumentum, & omnimodam nostrorum omnium salutem temporalem pariter, ac aeternam. Dabantur Seydae Saxonum, d. 12 lunii, anno recuperatae salutis,

CIO DCC XLII.

(i) Vid. CHRIST. GOTTL. LEHMANNI *Tract. de Officio Superintendens in Electoratu Saxoniae*, cap. 23, p. 105, sqq.



Kr 24224

Vol 18


ULB Halle
005 712 009

3



B.I.G.

Black



Farbkarte #13

Centimetres

Blue

Cyan.

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

15 4459
J. 22
PROGRAMMA
DE
SYNODORVM
ORIGINE PROGRESSV
ET FINE
QVO
AD SYNODVM DIOECESANAM
SEYDAE SAXONVM
D. XXII IVNII A. O. R. CIO IO CCXLII
DIGNE CELEBRANDAM
PLVRIMVM REVERENDOS DNN.
SENIOREM PASTORES DIACONVM
ATQVE SVBSTITVTVM
FRATRES IN CHRISTO AMANTISSIMOS
PERAMANTER INVITAT
IO. ZACHARIAS HILLIGERV^S, D.
PASTOR ET SVPERINTENDENS

VITEMBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTL^O EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS.

